

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

CCCLXXI. Viri fortis pater reus proditionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

## CCCLXXI.

*Viri fortis pater, reus proditionis.*

ABDICARE LICEAT. VIR FORTIS OPTET QUOD VOLET.  
Qui prodigionis patrem reum habebat, fortiter pugnavit. Rogante  
patre, ut optaret abolitionem suam, non optavit, sed in judicio, reo  
affuit. Absolutus pater abdicat filium.

## DECLAMATIO.

Quid peccavi, cur abdicer? num adversus patriam  
inners sum? luxuriæ deditus? bella fugio? An adver-  
sus patrem impius? reor. In qua parte filii cessat officium?  
Non optasti, inquit, quod volui. Jam excedis legem tuam:  
pater filio debes imperare, forti non potes. potes peregrina-  
tionem, potes militiam: sed non sententiam judicii,  
non decretum magistratus, non præmium forti. Quid  
enim lex ait? FORTIS OPTET. Menominat, & æ-  
quum est hoc mihi contingere: pugnavi. Cum quo mihi  
res est? cum patre: non est contumaciter agendum. Ego  
vero etiam viri fortis optionem remitto, si æquum petis.  
Quid petiisti? ut abolitionem optarem. Memento non  
omnia, pater, nos posse petere: præmium accipimus, non  
regnum. Nescis quantum sit abolitionem petere, accusa-  
tori silentium indicere, reum eximere, leges tollere. Nec  
pro te tenuissem, & præmium perdidissem. Sed cuius abo-  
litionem? meam, inquit. Animadvertis quodammodo  
parricidii reum. Agam potius causam. Hoc præmium  
primum turpe est: deinde supervacuum. Turpe: damna-  
beris tuo judicio in perpetuum: quanto gravius est à se  
damnari? tamen alii possunt dicere, gratia victi sumus.  
Deinde supervacuum: innocens eras. At enim dubia est  
judicii fortuna: sed nobis non timenda. Diluendum judi-  
cium est: <sup>2</sup> invidia tantum criminis fiducia erat & in timo-  
re tuo.

1 Non sententiam judicii, non decretum  
magistratus.] Voluit auctor: sed non sen-  
tentiam judicii, non decretum magistratus,  
non præmium forti. Idein.

2 Invidia tantum criminis.] Ærodius:  
invidia tantum fuit: criminis fiducia.  
Malim: in invidia tantum criminis fiducia  
erat & in timore tuo. Idem.

re tuo. Itaque apparuerunt judicibus una omnia, & profuit tibi, quod abolitionem non optavi: apparuit certa innocentiae fiducia. Ergo advocatum tuum abdicas, participem laboris? de me facile est, inveniam patrem: sed tibi timeo, soles enim periclitari.

## CCCLXXII.

*Pulsator educatoris expositus.*

**Q**UI PATREM PULSAVERIT, MANUS EI INCIDANTUR.  
TALIONIS SIT ACTIO. Quidam expositum sustulit, pro filio  
educavit. Pulsatus ab eo, tanquam pater, manus incidit. Agnitus  
est adolescens: advocato naturali patre, cum educatore agit ta-  
lionis.

## DECLAMATIO.

**S**celeratissimus omnium, judices, juvenis, ingratus,  
vel quia lucem beneficio meo accepit: vel quia in pa-  
trem bis parricida est, semel domi, iterum in foro, quam  
merito cruentas perdiderit manus, si quis adhuc dubitat,  
aspiciat: iterum me in conspectu vestro pulsat: etiam  
truncus ac debilis, sola rabie integer, in miserum se-  
nem incurrit. Quid si haberet manus? ac ne quis illum  
coercitum poena putet, etiam audacior factus est. Debi-  
litas meam concupiscit, & ei praecipue corporis parti  
irascitur, per quam vivit. Fateor, judices, fateor prae-  
cidendas fuisse has manus, sed cum istum tollerent. Nec  
erubesco (quod ab isto minimum est) male audire, & cru-  
delitatis quoque reus fieri. <sup>1</sup>Sane crudelis me vocet: dum  
se ostendat: non timeo, ne istud in me crimen credibile sit,  
cum misericordiae meae adversarius ipse monumentum sit.  
Nam quod pater parricida adest, non miror: debili non  
timet, <sup>2</sup> aliquando crudelior, cum exposuit. Neque enim  
dubito

<sup>1</sup> Sane crudelis.] v. c. sane crudelitas-  
tem me vocet, dum ostendat. Pithœus.  
Sane crudelis me vocet, dum se ostendat.]  
Potius ostendit. Gronovius.

<sup>2</sup> Aliquando crudelior.] Forte: ali-  
quanto crudelior. Nisi malis: At quanto  
crudelior, cupi exposuit. Idem.